

0/1

Venerabiles Patres,  
Carissimi Observatores et Auditores,

Hoc caput secundum óptimi schematis "De Oecumenismo" magnum habet pondus quoad praxim pastoralem. Non súfficit enim de Oecumenismo bene disputare ac eius principia in seipsis statuere; oportet "oecumenice" ágere! Oecumenismus potius quam res doctrinalis est methodus pastoralis secundum peculiarem "mentalitatem", ut dicunt, quae est nostrorum temporum signum, ita ut actio pastoralis quae non sit secundum mentalitatem oecumenicam, eo ipso hodie evadat veluti anachronica.

Duo, considerationi vestrae submittere volo circa Oecumenismi exercitium:

- 1)- eius methodologicum initium;
- 2)- et eius aspectus analogicus.

1) -Primo- De primo gressu methológico in Oecumenismi exercitio.

Eminentissimus relator Hamletus Joannes Cardinalis Cicognani dixit oportere ut Oecumenismus exerceatur "ad fraterna vincula et colloquia cum seiunctis fratribus habenda, 'veritatem facientes in charitate' (Eph. 4, 15)." Pulchra est ista citatio Pauli, at, venerabiles Patres, potuimus in aula audire distinctos modos interpretandi talem affirmationem. Sunt qui, a veritate incipientes, dicant Oecumenismum non posse bene exereri si ab ipsa veritate modo statico possessa, clare explanata ac in tuto posita, primum suum gressum non sumat, ita ut ne in oratione quidem unánimes esse possimus cum Fratribus a nobis seiunctis, quasi non possset adesse vera fides, vera spes, ac vera charitas extra saepta visibilia Ecclesiae Catholicae Romanae. Certe omnes cúpinus et conámur pervenire ad unitatem veritatis semper profundioris, áttamen nullo modo est obliviscendum illum axioma sensus communis quod ordo executionis omnino distinguitur ab ordine intentionis, ita ut quod primum est in ordine intentionis revera ultimum evadat in ordine executionis.

Sunt autem alii qui, a charitate potius incipientes, unitatem in veritate utpote metam seu terminum exercitii Oecumenismi quaerant, initium sumentes ab amore Dei et proximi, ex quo, sub ductu Spiritus Sancti, ad unitatem veritatis permenire possint.

Germanum Oecumenismi exercitium in ista altera modalitate sine dubio fundatur: a charitate incipit, quae est connaturalis dispositio ad veritatem revelatam; ubi éadem charitas, ibi facilius ad eãndem pervenitur fides. Tamen, Venerabiles Patres, primus gressus methodologicus non est amor aut charitas in seipsa, sed aliquid magis concretum et communicativum.

In ipso exercitio humanae educationis primus gressus methodologicus non est nec possessio aut explanatio alicuius veritatis nec simplex amor in genere, sed cordialis familiaritas cum persona educandi.

Sanctus Ioannes Bosco, qui methodo charitatis optime usus est, aiebat amorem in hoc non sufficere ("non basta amare"), sed necessarium esse ut amor ipse concrete et sensibiliter appareat et bene percipiatur a persona amata. De cetero, nonne haec est lex incarnationis ut Deus, invisibilis, caro efficiatur, vere audiatur et videatur ac manibus contrectetur?

Primus gressus ergo in exercitio Oecumenismi non est defensio vel explanatio veritatis, sed demonstratio veri amoris; demonstratio, dixi, seu exercitium visibile et palpabile charitatis.

Maximi momenti est, proinde, materia in hoc capite contenta, quia indicat praecise aliquos modos, quibus concrete primus ille gressus incipi possit.

2) -Secundo- De aspectu analogico exercitii Oecumenismi.

Bene prae oculis habendum est exercitium Oecumenismi non esse univocum sed analogum. Principium analogiae supremi est ponderis non solummodo in speculatione sed etiam in actione; sine analogia impossibilis evadit Theologia et irrationabiliter applicatur actio pastoralis.

Interna die eminentissimus cardinalis Bea de hac exercitii Oecumenismi analogia bene locutus est. Iam antea excellentissimus Relator dixerat: "patet actionem oecumenicam exerceri debere modis diversis prout diversarum nationum conditiones postulant."

Aliquis Pater iam locutus est de distinctis "typis" Fratrum seiunctorum in saeculo XVI<sup>o</sup> ac in saeculo XX<sup>o</sup>. Ego vellem non solum distinctionem saeculorum in historia, sed etiam regionum in geographia meminisse.

Sic, exempli gratia, hodiernus Protestantismus Europaeus profunde differt ab hodierno Protestantismo in America Latina in dies crescente; hic, in Europa, est potius dolorosum residuum luctae in fide ob defectus et peccata Christianorum aliorum saeculorum; ibi, in America Latina, est potius novitas quaedam exurgens pluribus ex causis, inter quas non est spernendus motus subveniendi necessitudinibus religiosis multitudinum, ad quas structurae pastorales nostrae saepe saepius impares evadunt, sive ob inopiam cleri, sive ob incuriam in qua relictis sunt laici, sive ob liturgiam intelligibilem, sive ob catechesim potius moralisticam et devotionalisticam, sive ob iniustitiam sociale aliquorum catholicorum divitorum, sive ob actionem pastoraalem propriam status "christianitatis", uti dicitur, potius quam status "missionis", sive ob alias causas.

Duo, exinde, mihi videntur huic capiti addenda:

a)- affirmatio explicita, in aliqua capituli paragrapho, quod "Episcopi

et Conferentiae Episcopales singularium regionum perpéndere debent problema particularia, per regiones sat diversas, atque de iis normas appropriatas édere";

b)- clara indicatio necessitatis aptatae renovationis Pastoralis quae in dies semper melius consideret statum "missionis" potius quam "christianitatis". Ecclesia peregrina, est realitas historica, et eius institutio-  
*ecclesiasticas*  
nes pastorales ~~ullo modo debent esse irreformabiles; sine diuturna ac renovata aptatio, quo magis anachronica evadit, eo ipso magis inefficax.~~

Dixi.



Randolphus Cardinalis Silva Henríquez  
Archiepiscopus Sancti Iacobi  
in Chilia